



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

199. An Regularis transiens cum licentia ad aliam religionem teneat ibi
integrum annum novitiatus perficere? Et an hoc procedat, licet fiat
transitus ab arctiori ad laxiorem Religionem; imò respectu ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Bonifacii VIII. cuius verba abducit Ioseph Aldrete in allegat. pro omnimoda Regularium exemptione, cap. 2. n. 24. & in alia Bulla Ioannis XXII. illam affert Lezana in Summa, tom. 3. ver. b. Exemptio, num. 8. & patet ex aliis privilegiis; sequitur ex hoc, Regularem in casu nostro delinquentem in Monasterio alterius Religionis, non solum non posse puniri ab Episcopo: sed neque à Superiore illius Monasterij, in quo deliquit, vt voluit Bordonus; sed tantum erit puniendus à suo immediato Superiore.

Sup. contēto in hoc § in tom. 5. tr. 1. Re: 84 §. Nota tercio, & pro parte in Re: 87 §. Nota secundo, & aduerte quod Bordonus hic citatus in lit. 1. huius § citat Dianam in p. 4. tr. 4. Ref. 1. ideo lege illam, si placet, quæ hic est supra 91.

4. Nota hic obiter, Bordonum *ubi supra*, docere, sub nomine Regularium in verbis Concilij non includi Superiores, qui egent speciali mentione, vt me citato, probat. Quod etiam probari potest: nam sub nomine Monialium non includitur Abbatissa; & excommunicatio lata contra colloquentes cum Monialibus, non contrahitur à colloquentibus cum Abbatissa. Ergo sub nomine Regularium non includitur Prior Præpositus, &c. & ideo si isti delinquant extra Claustra, non subiiciuntur punitioni Episcoporum, ex vi Concilij Tridentini.

RESOL. CXC.VIII.

Quæ sunt causæ legitime, vt quis possit transire ex Religione strictiori ad laxiorem? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 43.

§. 1. **P**otest Religiosus licite transire ex Religione strictiori ad laxiorem cum licentia Superioris. Primum ob infirmitatem, aut corporis debilitatem, vnde ferre non possit austeritates Religionis, ad quam se primo contulit, Ita D. Thomas 2. 2. q. ult. art. 8. Angelus *ver. Religiosus n. 35* Sylvester *ver. Religio 4. q. 2.* Tabiena *ver. Religio 4. n. 2.* Geminianus *in c. cum singula §. prohibemus n. 9. de præbend. in sexto.* & Franchus *ibidem n. 4.* & alij. Secundò, si Religiosus in priori Religione odio habeatur à cæteris Religiosis, aut indignè, ac malè tractetur, aut si aliis sit exosus. Ita Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 13. n. 102.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 41. quest. 8.* Reginaldus *tom. 2. lib. 18. cap. 29. n. 414.* & Sanchez *ubi infra*. Tertio, si in illa Religione ita infamatus sit ob aliquod crimen à se patratum, vt semper in ea pudore suffusus, ac subinde magna tristitia affectus, vitam transacturus sit, & hoc sapius potest accidere in Religionibus, in quibus viget obseruantia. Ita Sanchez *in summ. tom. 2. lib. 6. cap. 7. n. 72.* Et tandem quarto Bartholomæus de Vecchis *in praxi nouitiorum disp. 15. dub. 7. num. 4.* putat habere causam sufficientem transeundi ad laxiorem Religionem Religiosum, cui ob suam imperfectionem, & prauum habitum obseruantia austeritatum propriæ Religionis adeò difficilis redditur, vt ferè continuam mœsticiam, & penitentiam professionis emissæ in illa Religione experiat, quamuis ratione huius difficultatis regulam frequenter non transgrediat; quod probatur. Primum, quia hæc ferè continua mœsticia, & penitudo constituit Religiosum in probabili periculo violandi regulares obseruantias. Secundò, quia sicut tristitia, & displicentia grauis, quam experitur Nouitius tempore probationis, censetur sufficiens ad liberandum eundem Nouitium à nexu voti Religionis; ita eadem tristitia in casu nostro censenda est dispensationis causa, maxime si spes habeatur petentem dispensationem cum gaudio, & animi tranquillitate seruiturum esse Deo in laxiori Religione. Ita Vecchius, licet alij contrarium sentiant, quando non obtante dicta displicentia, & mœsticia Religionis, regulas frequenter non transgrediretur.

2. Notandum est tamen hic obiter, quod Rodriguez *in qq. Regul. tom. 3. q. 92. art. 9.* allegans falsò Sotum, limitat primam causam superius positam, quando Præ-

lati Religionis strictioris dispensarent cum illo Religioso, vt propter infirmitatem ad onera Religionis non teneatur Sed ego cum Sanchez *ubi supra in tom. 2. lib. 5. c. 7. n. 72.* puto his non obstantibus, posse dictum Religiosum transire ad laxiorem Religionem, quia licet cum ipso Prælatum dispensaret, non possit (moraliter loquendo) non esse Religioni onerosus, & causa multi scandali, nota, & murmuratiōis.

RESOL. CXCIX.

An Regularis transiens cum licentia ad aliam Religionem teneatur ibi integrum annum Nouitiatu persicere? Et an hoc procedat, licet fiat transitus ab arctiori ad laxiorem Religionem: imò respectu eiusdem Ordinis? Ex p. 7. tr. 1. 1. & Misc. 2. R. 25.

§. 1. **N**egotium sententiam tenet Caramel *in Reg. D. Bened. disp. 45. n. 544* ubi sic ait: Quanto tempore debeant sic transientes probari. Annum postulat Miranda *in Man. q. 31. art. 21.* quod ad hoc certum credit, vt nulli liceat dubitare. Sed docti hominis pace, non dubitabo, imò contra expressè afferam, talis Nouitiatu, nullum tempus esse à Concilio aliquo determinatum. Non enim debemus obligationes graues asserere, neque operantes grauis peccati arguere (ait Villalobos *in Sum. tom. 1. tr. 24. dub. 9. n. 8.*) si ius non fuerit valde clarum, & teste Miranda nuper citato in illo cap. Concilij Tridentini non fit expressa mentio eorum, qui ad Ordinem alium transferuntur. Mentio autem quæ expressa non est, non solum non valde clara, sed neque clara est. Superest modo diluere argumenta in contrarium. Et quidem requiri probationis annum integrum etiam in tali casu, videtur esse expressè determinatum à Concilio Tridentino *sess. 25. de Reg. c. 15.* ubi prohibentur, annullantur, irritantur professiones eorum qui non fuerint Nouitij integro anno.

2. Respondeo ibi agi de professione substantiali non verò de accidentali, quæ fit ab hominibus, qualis illa est, quæ fit in secunda Religione. Contat, quia ex vi sanctionis istius, vt omnes explicat, qui ante annum completum proficetur, nulla obligatione substantiali obstringitur; Religiosus autem qui transit ad aliam Religionem, non potest non obligari ad substantialia licet illa non voueat, iam enim voueat in Priori Religione. Vnde aliud est ingredi Religionem, aliud mutare. Vt quis fiat Religiosus, debet probare vtrum possit subesse Antistitis imperio, seruire paupertatem, & continentiam summam: & an possit alia accidentalia præstare, quæ conducunt ad ritus extrinsecos communitatis; talia sunt, ieiunia, silentium, claustra, & alia id genus. Priora (nempe substantialia) sunt difficillima, accidentalia minus sunt difficultatis. In secunda Religione probatio non instituitur de re essentiali, sed solum de accidentalibus, Ergo nec ex natura rei hæc probatio postulat tantum temporis quantum prior: nec Concilium Tridentinum de illa quidpiam determinauit, verum id committendum est conuentioni contrahentium. Ergo tempus illud venit à communitate determinandam acceptandamque ab illo, qui mutat Religionem; aut è contrario.

3. Quod autem in illo Capite Tridentinum, non comprehendat omnes probationes, sed solum quæ sunt de substantialibus, quando ex seculo transiunt ad Religionem approbatam, patet: quia si omnes professiones comprehenderet, etiam completerentur professiones ordinum militarium, vt ex se liquet. Atqui declaratum est in Rota 11. Decembr. 1570. militarium professiones non comprehendi in hoc capite.

capite: Ergo non deest hoc caput ita vniuersaliter intelligi, vt volebat Miranda. Hucusque Caramuel, qui etiam ad alias obiectiones contra suam sententiam morte solito acutissime respondet.

4. Sed opinioni viri doctissimi libenter adhererem si praxis non esset in contrarium, & sic quotidie videmus Regulares transeuntes ad aliam Religionem, si velint ante annum Nouitiatu profiteri, impetrare dispensationem à Summo Pontifice. Vnde & Vecchius in *praxi Nouit. disp. 15. dub. 1. num. 18.* obseruat Leonem X. concessisse Præuilegium viue vocis Prælati Ordinis Minorum, vt infra annum probationis possint admitti ad professionem Religiosos ad se transeuntes. Vnde sententiam Mirandæ quam Caramuel impugnat, docent communiter Doctores, quos plena manu citant & sequuntur Berdomus in *Consl. Reg. ref. 2. q. 17. n. 62.* & Sanchez in *Sum. lib. 5. c. 4. n. 12.* quod procedit, licet fiat transitus ab ætiori ad laxiorem, imò respectu eiusdem Religionis, vt si Cappucin transeant ad Zoccholantes strictioris obseruantie, imò & ad illos Dei familie.

RESOL. CC.

An bona Religiosi transeuntis ad aliam Religionem, vel Episcopatum pertineant ad primum, vel ad posterius Monasterium?

Et notatur ius succedendi Religioso competens, cum sit personale, transire cum eo ad Monasterium ad quod transferri, si est capax succedendi; Vnde inferitur legatum relictum sub conditione, quæ impleta est tempore secundæ professionis ad secundum Monasterium pertinere. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 114.

1. Pertinere ad posterius Monasterium saltem quoad vsum fructu docet Emanuel Rodriq. in *add. ad sum. tom. 4. c. 53. n. 2.* & alij, sed Th. Sanch. in *sum. to. 2. lib. 7. c. 32. n. 8.* & alij penes ipsum, afferunt vniuersa bona priori Monasterio acquiritur ratione Religiosi remanere omnino apud illum, quando Religiosus transit ad aliud Monasterium, vel ad Episcopatum, & hanc sententiam probat ex multis rationibus. Vide etiam Faustum in *thes. Rel. 3. l. 5. q. 386. n. 3.*

2. Ego verò puto ad summum tali casu prius Monasterium teneri ad tribuendum Religioso transato sufficientia alimenta in Monasterio posteriori, & ita docet Suarez de *Rel. tom. 4. tr. 8. lib. 3. c. 14.* & Hieronymus Rodriguez in *comp. qq. Reg. ref. 123. n. 82.* maxime quando Monasterium est inops, vt vult Menoch. *vol. 2. conf. 193. n. 22.*

3. Nota tamen, quod rectè notat Villalob. in *sum. tom. 1. tr. 5. diff. 14. n. 3.* ius succedendi Religioso competens, cum sit personale, transire cum eo ad Monasterium, ad quod transferri, si est capax succedendi vnde inferit n. 4. legatum relictum sub conditione, quæ impleta est tempore secundæ professionis, ad secundum Monasterium pertinere.

RESOL. CCI.

An votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem possit Prælatus Regularis dispensare, non verò irritare. Ex p. 3. tr. 2. Ref. 91.

1. Respondet affirmatiuè Hieronymus Rodriguez *comp. qq. Regul. resol. 123. n. 80.* vbi sic ait Prælatus votum subditi de transeundo ad strictiorem Religionem potest dispensare, non verò irritare, quia id non est simpliciter votum Religionis, sed transitus vnius ad alteram Religionem, qui quidem

transitus ad ætiorum Religionem, non cadit sub potestate Prælati ad irritandum votum de illo emissum. Sic Rodriguez, & sic ego in facti contingencia consului, & ita etiam hanc sententiam docet Villalobos in *sum. to. 2. tr. 35. diff. 13. n. 19.* Suarez de *Rel. to. 3. l. 4. c. 6. n. 15.* Sanch. in *sum. tom. 1. lib. 4. c. 33. n. 2.* & alij.

RESOL. CCII.

An per renouatio. E. votoru Regulariu obtineatur remissio omnium peccatoru. Ex p. 4. tr. 4 & Misc. Ref. 180.

1. Hæc resolutio erit deuotis Religiosis multum plausibilis, & negatiuam sententiam docet Sanchez in *summo tom. 2. lib. 5. n. 5.* & Tabiena *ver. Nouitius, in fine.* & post illos Bartholomæus de Vecchis in *praxi Nouitiorum disp. 13. dub. 5. n. 7.* propterea quod opus primæ traditionis difficilium sit, & ex intentione voluntate procedens.

2. Sed his non obstantibus sententiam affirmatiuam refert & non improbat Sa *ver. Religio n. 7.* & nouissimè illam docet Paulus Layman in *Theol. mor. l. 4. tract. 5. c. 10. num. 2.* nam vota quæ in Religione eduntur, ideo afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum. Sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri & renouari potest, ergo etiam remissio peccatorum iteratò acquiritur, & ideo Villalobos in *sum. tom. 2. tr. 35. diff. 26. n. 2.* sic ait. *Parece me que se puede creer piamente, que todas las vezes que el Religioso se acuerda que hizo profession, y se alegra dello con tal afecto que si no uoiera profesado profesari de nueno, que Dios nuestro Señor le perdona todas las penas de los pecados o casi todas por este acto tan heroico y por lo menos por grandissima parte dellas, y por lo qual algunos deuotos religiosos usan reytarar entre si la profession quando veen que otros la hazen.* Ita ille. Ad argumentum verò, quod Sanchez adducit, respondet Layman, fieri posse vt renouatio votorum maiore animi constantia, & determinatione ad Dei obsequium fiat, quam prima traditio facta fuerat. Adde quòd cum hæc sint accidentalialia, non nocent. Verum ego puto non esse recedendum ab opinione negatiua.

RESOL. CCIII.

An vota vitæ Quadragesimalis Minimorum, Redemptionis Captiuorum Mercenariorum: non acceptandis Prælatus extra Religionem Patrum Societatis Iesu, & Discalceatorum D. Augustini, & similia sint dispensabilia saltem per Generalem?

Idem dicendum est de quocumque statu Religioso habente votum aliquod ex peculiari ratione talis status præter vota communia, quod Prælatus Religionis non potest dispensare, irritare, aut commutare. Ex p. 6. tract. 8. & Misc. 3. Ref. 34.

1. Affirmatiuè videtur respondendum per ea quæ indiuidualiter tenet Miranda in *Manuali Prælatorum, tom. 1. question. 9. art. 6. conclus. 1.* & 3. vbi expressè docet in supradictis votis vitæ Quadragesimalis, & c. posse Generalem dispensare, quod etiam probat ex loco Concilij Tridentini *session. 25. capit. 1.* Vbi agens de votorum Regularium custodia, & obseruantia differentiam atque distinctionem facit, inter supradicta tria Religionis essentialia, & substantialia vota (obedientiam nempe, paupertatem, & castitatem) & alia cuiuslibet Regulæ & Ordinis peculiarialia vota, & præcepta (respectiue) pertinentia ad supradictorum obseruantiam, nec non ad communem

Quamuis nõ plene sup. hoc ne prætermittas tamen legere supra in Ref. 28. d. 2. & responsiones Pontificis circa hoc, & ex illis deducere potes